



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

7. Vtrum pastores teneantur omnibus peste infectis baptismum ministrare?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41077

mihī necessarium non possim propter ministri malitiam aliter obtinere, quam dando mea temporalia, nihil inordinatum committam.

Dices: Si licet aliquid dare ad obtinendum sacramentū in huiusmodi necessitate, licebit ergo aliquid etiā spirituale vendere, si iniquus ille sacerdos postulet?

R. Non sequi, quia præterquam quod venditio est emptione longe deterior, si vellet sibi rem spirituale vendi, & non gratis dari, censeretur id velle in contemptum religionis, & per consequens videretur quis prauitati eius morem gerere, quod nullo modo licet.

QVÆSTIO VII.

Utrum pastores teneantur omnibus paruulis peste infectis baptismum ministrare?

Quæstionis explicatio.

Diximus, qui teneantur baptismum tempore pestis ministrare, siue ex iustitia siue charitate: Ordo postulat ut inquiramus an omnibus omnino infectis obligentur; non desunt enim à quorum ministracione, pastores forte viderentur posse excusari, de quibus idcirco particulatim consequenter videbimus.

Responsio.

*Responsio.**a Ioan. 3.*

TENĒTUR: Ratio ex dictis in prima questione huius capituli facile colligitur: dicitur enim omnibus absolutè & sine vlla exceptione illud (a) Saluatoris: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.*

*Vide D. Aug.
lib. 13. de ciu.
cap. 7.*

Dices: Quid si persecutio siue Turcarum, siue hæreticorum sæuiat in Catholicos peste infectos, tenebuntur etiam pastores periculo mortis se exponere, vt paruulos illorum martyrio expositos baptizent?

R. Nos excipere casum martyrii pro Christo, quo iuxta communem sensum ecclesie etiam paruuli sine alio baptismo saluari possunt.

QVÆSTIO VIII.

An etiam non petentibus?

Quæstionis explicatio.

FIt nonnunquam, vt parentes peste infecti, non sint ita solliciti de baptismo infantium suorum, vel quod in lucem editi sint, quin moriantur, propter humores pestiferos, quos in vtero materno suxerunt, vsq; adeo, vt à Medicis pro miraculo reputetur, si matre pestilentiali morbo pereunte proles incolumis euadat, vel q; matres, vi